

racinum, id sibi ex solo amaraco præparari, quod et si odoris fragrantia uideretur inferius, non tamen uiribus imbecillius fuisse testatur.

Mεγαληνος. MEGALINUM.

CAP. LVIII.

FACTITABATVR olim Megalinum, sed nunc compositio exoleuit, & prorsus obliterata est. Cuius ad historiæ complementum meminisse non fuit alienum. Mistura cum amaracino eadem erat, sed resina exuperabat, hac tantum ratione differens. Quare leuiter emollit. Resina unguentis, neq; tutæ, neque uoluptatis gratia adjicitur, sed coloris, crassamentique causa. Ea tantisper coquitur, dum definat olere: cuius coquendæ ratio declarabitur, cum de resina differemus.

Hεδυχρον. HEDYCHROVM.

CAP. LIX.

QVOD Hedychroon uocant, in Co fieri solet: eisdem præditum uiribus, & misturis, quibus amarinum, sed suauius spirat.

Hedychroi
cōposito ex
Galenō.

Theriacæ de-
prauatio.

HEDYCHROI compositionis meminit Galenus libro primo de antidotis, cum omnia, que continent, odor amena-
ta uno fabacta Andromachi theriacæ recipiat. Ceterum et si hedychroi parandi rations plures dicat reperiri, unam
tamen elegit, quam hoc modo descripsit. Hedychroum habet mari drachmas duæ: asari, amaraci, asphalathi, sebæni,
calami odorati, phu pontici totidem: xylobalsami uero, & opobalsami, cinnamomi, costi, singulorum drachmas tres:
myrrhae drachmas sex, totidem folij malabathrim, nardi Indicæ, croci, cassiae: duplo autem plus amomi, aduectæ uero
ex Chio abundante plurimis fontibus insula mastiches drachman uiam: uino falerno omnia excipe. Cum igitur hæc
misueris, fac trochicos similes theriacis, et scillinis, quos excicabis eo modo, quo diximus. Productus fuit Galenus,
ut hunc parandi modum describeret, tum quod Andromachus hedychroum (ut inquit) nullibi literis mandauerit: tum
etiam ut rei medicæ imperitos doceret, quidnam esset hedychroum in theriacæ preparatione, ne in cum errorem ca-
derent, in quem sua ètate medicum quendam Rome lapsum fuisse commemorat: qui compositurus antidotum, que-
rebat apud myropolis Hedychroum; existimans esse herbam, aut radicem, aut quodpiam simplex medicamentum. id
quod etiam hac nostra tempestate quam plurimis euenisse comperimus. Auicenna, & ceteri Arabicæ familie scri-
ptores in sua theriacæ compositione hedychroum trochicos Alindaracaron appellaucre: tradentes uarias eorum cō-
positiones, in simplicibus medicamentis, pondere, & mensuris à Galeni doctrina plurimi m differentes. Quare mira-
ri non licet, si iandiu legitima Theriacæ compositio infeliciter successerit; cum & ab Arabibus, & à myropolis, a-
dulterinis medicamentis fuerit depravata.

Μετωπιον. METOPIVM.

CAP. LX.

FIT in Aegypto unguentum, quod Metopion patrio nomine appellatur, propter galbani mistio-
nem: nam lignum, in quo galbanum enascitur, metopion uocant. Constat amygdalis amaris, ompha-
cino oleo, cardamomo, odorato iunco, calamo, melle, uino, myrrha, balsami semine, galbano, & resina.
Probatur pingue, graui odore, quod magis cardamomum, & myrrham, quam galbanum resipiat. Cal-
facit uehementer, & adurit, atque extrahit: ora uenarum aperit: ulcera purgat, extrahitque: ad præci-
fos neruos, & musculos, ad hernias humore contractas, cum erodentibus medicamentis efficax est. ce-
ratis, & malagmati inservit: horroribus, conuulsisque, præsertim quibus ceruix in scapulas deiecta,
& retrosum contracta est, vtile habetur: sudores ciēt, vuluæ spiracula recludit, & eiusdem duritas la-
xat. In summa molliendi naturam habet.

Μεδόσιον. MENDESIVM.

CAP. LXI.

MENDESIVM constat balanino oleo, myrrha, cassia, & resina. Aliqui tamen post singulorū pondera, cinnamomi exiguum addunt, nullo compendio: nam que simul excocta non fuere, vim nullam exhibent. Similem metopio uim obtinet, sed inferiorem inultò.

Στακτη. STACTE.

CAP. LXII.

STACTE vocatur pinguitudo recentis myrrhae cum exigua aqua tusæ, & organo expressæ. Ea per-
quam odorata, ac pretiosa est, atque vnguentum per se facit, quod Stacte nominatur. Maximè proba-
tur, que nullam olei mistionem admisit, cuius minima portio compos est uirium plurimarum. Vim
calfactoriam, myrrhae, & calidis vnguentis respondentem habet.

Stactes consi-
deratio.

Styrax liqui-
dus.

Medicam. pe-
regrina cura-
dulterentur.

STACTE Serapioni, quemadmodum & reliquis Mauritanis, pariterq; officinis Styra liquidus appellatur, cuius
copia non solum Venetijs ubiq; uenialis habetur, sed & in omnibus ferè officinis reperiuntur, que medicamentorum com-
ponendorum artem exercent. Quod autem Stacte myrrha sit liquidus uocatus Styra, facile probat Serapio. quipa-
pe qui capite de Styra calamita, liquidum styracen ex myrrha primum aqua confersa, ac deinde expressa, fieri
tradidit: qua in re Dioscoridem ad unguem imitatur. Cui quidem sententie illud ad stipulatur, quod liquidus Styra
(de legitimo sanè loquor) sit perquam odoratus, & gustu non obscurè amarus. Porro animaduertendum est, quod
hoc aeo syncerum haud facile inuenias, ut fermè cuenit cum ceteris medicamentis, que ex Alexandria Aegypti, uel
Syria

Syria ad nos conuehuntur. Siquidem cum omnia hec per Mauritanorum, Turcarum, Iudeorumq; manus transeant, qui nobis Christicolis semper dolos, fraudesq; moliuntur, Diis sacrificium facere sibi persuadent, cum nos aliqua in re fallere possunt. Ceterum, ut redeam, unde diuerteram, mea quidem fuit opinio, si synceram factum nancisci possemus, non alienum fore, ipsam in myrrae locum substituere. Sed certe perquam difficile erit legitimam inueniri, nisi forte uera facta sit liquor ille, de quo superius in balsami commentatione diximus.

Κινναμόνιον. CINNAMOMINUM.

CAP. LXIII.

CINNAMOMINUM confit è balanino oleo: & xylobalsami, calami, iunci odorati spissamētis: atq; cinnamomi, & seminis balsamini suavitate conditur, quadruplaque myrrha ad cinnamomum portione: mel ad cogenda omnia adjicitur. Laudatur non acre, molli odore, planè myrrham redolens, crassum, odoratum, gustu perquam amaro. Id non à resina, sed myrrha crassitudinem obtinuit: resina enim neque amaritudinem præbet, neque ullam odoris gratiam adjicit. Vim habet admodum acrem, amaram, & californiē. Itaque ora uenarum aperit, califacit, discutit, diffundit: humores & spiritus attrahit, caput aggrauat: contra vuluae pūtia cum duplo oleo, cera, & medulla efficax est. Ita enim serè multum acrimonie exolecit, & quedam emolliendi uis contrahitur. alioqui adurit, & præ omnibus crassis unguentis indurat. Facit mirum in modum ad fistulas, & ulcerā, quæ putredinis uitium senserunt: item ad hernias, humidiōres, carbunculos, gangrenasque cum cardamomo: quin & ad febris horrores, & tremores: aduersus serpentium morsus illinitur: scorpionum, & phalangiorum ictibus, cum tritis grossis imponitur.

Νάρδιον. NARDINUM.

CAP. LXIV.

RATIO Nardini faciundi euariat. Nam aut malabathrino folio, aut sine eo fit: plerunque autem balanino oleo, aut omphacino. Iuncus odoratus spissamēti gratia adjicitur: sicuti propter odoris suavitatem, costus, amomum, nardum, myrrha, ballatum. Laudatur tenuē, non acre, nardi aridæ, aut amomi odorem referens. Vis ei extenuans, acris: expurgat, califacit, absterget humores, rarefacit. Hoc liquidum est, nec habet strigimenti crassitudinem, nisi resinam recipiat. Fit etiam simplex ex omphacino oleo, iunco, calamo, costo, & nardo.

Μαλαβαθρίον. MALABATHRINUM.

CAP. LXV.

MALABATHRINUM spissamenta nardini habet: insuper myrrha plusculum additur. Qua de causa califacit, crocino, aut amaracino uiribus respondens.

Ιασμῖνον. IASMINUM.

CAP. LVI.

APVD Persas fit, quod Iasmīnum cognominatur, ex albī florib⁹ uiolæ: quorum sextans in Italīcum sextarium sesamini olei demittitur, uiolis, ut in lilino diximus, vicissim permutatis. Apud Persas inter epulandum usurpat̄ odoris causa. Quinetiam toti corpori conuenit; præsertim cū in balneis descensum est. Sed his opitulatur corporibus, quæ calfactionem, laxationemque desiderant. grāuius tamen spirat, quam ut libenter à plerisque recipiatur.

IASMĪNUM unguentum non eo quidem silentio prætereundum duximus, quo aliqua in precedentibus à nobis om̄issa sunt: in illis enim nihil sane, in hoc uero aliiquid nobis se se offert declarandum. Itaq; primum scire conuenit, quod Iasme uocabulū apud Gr̄ecos, aliorum etiā testimonio, nil aliud significat, quam uiolaceum. Et certe cū scribat Dioſcorides, unguentum hoc fieri εκ τῶν αὐτῶν τῶν λευκῶν τὸ ίου, hoc iste uerbum uerbo reddendo, ex florib⁹ albī uiolæ, id Violaceum merito appellari debet. Sunt tamen e recentioribus, qui pro certo sibi persuadeant, vocabulū rūm fortasse uincitare decepti, illud ex florib⁹ ijs perquam odoratis fieri, quos in Italia Gelsonini uulgò appellamus.

Quorum opinioni non parum suffragantur tum Hermolaus Barbarus, tum Marcellus Florentinus. Qui præcipue, ut suam comprobet sententiam, ueteres afferit, præsertimq; Dioscoridem, inter leucoi genera nostratē gelſimīnum comprehendisse, illudq; speciatim gelſimīnum intellexisse, quod florib⁹ cœruleis prouenire nonnulli pro certo afferunt. Cuius sententiam non modo non probandam censeo, sed omnino refellendam existimo. siquidem nullo pacto cogitandum est, nedium credendum, quod Dioscorides, qui in simplicium historiā, & in eorum declarandis separandisq; generibus, omnium diligentissimus fuit, adeo imprudenter nullo discriminē existimauerit cœruleum leucoiū gelſimīnum esse: cū id folijs, uiticuloso caule, radicibus, ramis, florib⁹, ceterisq; notis ab omni leucoio distideat. Sed hoc uerum esse Marcello concedamus, et si minus concedendum sit, quānam ratione dicet unquam, Iasmīnum unguentū fieri ex florib⁹ gelſimīni, quod cœruleum Dioscoridis leucoiū esse afferit, si Dioscorides ipse palam prodit, Iasmīnum ex albī uiolis temperari. Ad hec differre gelſimīnum à leucoio abunde ostendit Serapio, qui non modo fuit Dioſcoridis imitator, sed etiam interpres, cū alterum ab altero diuersis capitibus distinxerit, & de utrisq; tanquam de rebus diuersis differuerit. Quinīmo de gelſimīno agens capite centesimo septuagesimo sexto nullum Dioſcoridis, nec Galeni auctoritatem afferit, sed tantum sue gentis monumentis inheret, afferitq; gelſimīnum florib⁹ tum albī, tum luteis, tum cœruleis reperiri, quale etiam etate nostra uisitatur. Quod nobis maximo argumento esse potest, ut cre-

Iasmīni consi-
deratio.Hermolai, &
Marcelli opi-
nio improba-
ta.

Iesemin unde
dictum.

Iesemini ui-
res ex Serap.

Ioannis de Vi-
go lapsus.

GELSIMINVM.



*anno inimicis
- in quo dicitur
- aduersus eum*

*2. telomis
- in quo dicitur
- aduersus eum*

*3. telomis
- in quo dicitur
- aduersus eum*

Myrrha con-
sideratio.

MYRRHA, que ex Alexandria Aegypti hac etate ad nos affertur, admodum sane ab ea differt, quam inter præstantissimas Myrrha species recensuit Dioscorides. Quippe universa ferè myrrha, que in officinarum usu habetur, ijs omnibus qualitatibus, ac notis deſtituitur, quibus optima commendatur. Nanque ea (ut uidere est) minime uirescit, pinguis non est, non odorata, non undiq; concolor, nec confracta uenas unguium figura leues intus ostendit, nec

damus gelsimum Dioſcoridi ceterisq; ueteribus incognitum fuſe. Ceterum cur Arabes stirpem hanc IESEMIN appellaverint, causa facile assignari potest: quod cum gelsimi flores oratorios, albicansq; alba uiole modo conficerent, Græcos barbare imitari uolentes, ipſi uiole nomen indidere, quod est Iesemin: tametq; uernacula eorum lingua Zambach, siue Sambach uocatur. Id autem sicut odore fragrat, ita & uiribus pollet: si quidem Serapionis testimonio, excalfacit ordine secundo, humores discutit, pituitæ lentitudinem senibus frigidis digerit, cruciatibusq; ex pituitæ lentore prouenientibus mirifice prodest. Flores tan recentes, qui in flicci, lentigines, & impetigines in facie abstergunt. Paratur ex ijs etiam oleum Zambachinum appellatum, quod frigidis affectibus non obscurum affert auxilium. Hoc unguentarij cum amygdalino oleo parant, bonum barbis odoris gratia perfundendum: quod tamen temperie calidis caput adeò excalfacit, ut quandoque è naribus sanguinem eliciat. Hallucinantur, qui falsi uocabuli similitudine Sambacinum, & Sambucinum idem esse existimant. Inter quos errore implicatur Ioannes de Vigo chirurgicus nostri temporis non obscurus capite de Sambuco in suo paruo de simplicium libello. Non diu est, quod Ieseminum, siue (ut nos) Gelsimum in Italianam allatum est: quanvis nunc ubiq; horti opere topiario tum albis, tum luteis, tum etiam cœruleis gelsimis ornentur.

Σμύρνα. MYRRHA. CAP. LXVII.

MYRRHA lacryma est arboris, quæ in Arabia dignitur, Aegyptiæ spine nō dissimilis: è cuius vulnere defluit lacryma in subiectas tegetes: alia circum caudicē concrescit. Dicitur ex his aliqua pediasimios præpinguis, qua expressa, stacte emittitur. Alia gabirea pinguisima, lato & pingui solo nascens: ea copiosam sudat stacten. Omnia prima est, quæ Troglodytica appellatur, accepto cognomine à loco, in quo prouenit, splendens, subuiridis, ac mordens. Quinetiam legitur tenuis quædam, quæ à Troglodytica secunda est, bdellij modo mollis, verùm odore grauiuscula, apricis nascens. Alia caucalis cognominatur præter modum exoleta, nigra, & retorrida. Omnia deterrima, quæ ergasima dicitur, pingui carens, cano situ obducta, acris, ad gummi imaginem uergens, & uiribus eius proxima. Improbatur aminea cognomine. Ex ijs pastilli fiunt, sed è pinguisibus pingues, & odorati: è fiscioribus haudquam pingues, & inodorati. Minus odore pollet, quæ oleum non admisit, cum in pastillos digerebatur. Adulteratur macerato gummi aqua, in qua myrrha maduerit. Elegenda est recens, fragilis, leuis, undique concolor, quæ confracta uenas vnguium modo candidas & lœues ostendat, minutis glebis, amara, acris, odorata, calcaciens. superuacula, & inutilis est ponderosa, coloris picei. Calfacit, cohabet, soporem gignit, glutinat, fiscat, astringit, vuluam emollit, & præclusam aperit: menses & partus celeriter extrahit cum absinthio, lupinorum cremore, uel succo rutæ admota: tuberculo fabæ deuoratur in ueteri tufsi, orthopnæa, in laterum pectorisq; doloribus, in aliis profluvio, & dysenteria: horrores discutit duabus horis ante febrium accessiones fabæ magnitudine pota cum pipere, & aqua: subdita linguæ liquataque, scabritiem arteriæ expolit: obtusam vocem expedit, uentris tinea enecat, contra grauem oris halitum mandit, & aduersus alarum tædia cum liquido alumine illinitur: gingiuas, & dentes stabilit colluto cum uino, & oleo ore: uulnera capitis illitu glutinat: medetur fractis auribus, ac ossibus nudatis, peruncta cum cochleariæ carnibus: item purulentis auribus, inflammatiisque cum meconio, caftorio, & glaucio: ad uaros autem cum cassia, & melle illinitur: impetigines ex aceto purgat: defluentes capillos cum ladano, & vino myrteo illita, firmat: diurnas destillationes lenit, & illitis penna naribus: oculorum ulcera complet, albugines tollit, caliginem discutit, scabritiem laevigat. Fit è myrrha, perinde atque thure, fuligo: & ut postea ostendemus, ad eadem conueniens. Bœotica myrrha dissecta radix est arboris cuiusdam in Bœotia nascens. Melior est, quæ myrrham odoris suauitate repræsentat. Vis ei calfactaria inest, emollit, discutitque: suffimentis commodissimè inseritur.

30

40

50

sapore acer deprebenditur; tametsi gustu amaritudinem relinquat. Verum si fortasse cuiquam videretur et hæc inter Myrræ species esse recipienda (quod tamen non satis cōpertum habeo) aut caucalim, aut ergasmam, esse crediderim, aut potius quam Plinius ex India deferri ait, cùm hæ ceteris deteriores habeantur, certoq; sciamus ex India in Alexandriam myrrham importari. Nam ea, quæ plurima ad nos afferuntur, non modò siccæ, nigraq; est, sed etiam retorrida, matuta, & cano quodam situ obducta: & quanquam inter huiuscmodi globulos aliquod quandoq; reperiatur fragmē tum, quod & clarum sit, & pellucens; confractum tamen diuersicolor appareat. Ecquid magis & nec gustui insigniter amarum, nec myrrha odore præditum sentitur. Quo fit, ut credere liceat, eiusmodi Myrrham aut è deterioribus esse, aut gummi alicuius, aliarumq; mifionum adulterio minime uacare: hac enim impostura (ut Dioscorides inquit) myrrha adulterari solet. Sed hæc ita de illa coniscimus, quæ pauci vulgaris habentur. Ceterum electam Myrrham iam ad nos aduehi scimus, quæ & legitima, & probatissima esse censemur. Verum ea haec tenus tam rara est, ut non nisi ad ostentationem asserueretur, & ad aliarum dignoscendarum regulam. Adulterabatur myrrha Galeni tempore opocalpaso, quæ calpasi lethals, uenenosq; est lacryma. Idecirco libro primo de antidotis. Opocalpasiū (inquit) exitiale est, multosq; nos sorte quadam uidimus nostræ etatis decursu morti, quod inscijs myrrham, cui opocalpasiū admistum erat, asumpsissent. De industria nang; nonnulli eorum, qui ipsam præparant, ut laudatissimam imponebant, eo quod uiderent collyrijs induitam optimum esse medicamentum. Quippe quæ pus citra mordicationem discutiat, & interdum incipientem oculorum suffusionem substantia tenuem: sive autem in emplastrum, sive in ceratum, sive in aliquod digerens medicamentum, quod extrinsecus imponitur, huicmodi myrrham inscijs, uim ipsius augebis: at intra corpus assumptum lethale est medicamentum. Hæc igitur fusus dicta sunt, tum quod orationis series ita expostularet, tum etiam quia hæc speculari non est inutile. haec tenus Galenus. Adhibenda itaq; diligentia est, ne & nos Myrrham quandoq; opocalpaso adulteratam emamus. Ad hæc Brasavolo Ferrarensi animus inclinare uidetur, ut existimat Myrrham officinis uulgarem bdellium esse. Cui haud quaquam assentiendum putauerim: siquidem myrrha hæc pellucens adeo non est, nec taurino glutino similis, ut bdellium esse tradidit Dioscorides. Et licet quædam nostratis myrrha frustra quandoq; translucida reperiantur; sunt tamen potius hæc (ut dictum est) gummi adulteria, quam myrrha, uel bdellium: nempe gustu maleficium detegitur. Prætere bdellium incensum (Dioscoridis testimonio) odorem unguibus odoratis similem spirat, quod in nostrarum myrrha nonquam, facio periculo, sum consecutus. Huic etiam alia accedit ratio, quæ magis & magis Brasavoli animum immutare poterit: quod scilicet bdellium diu digitis ductum, tractatumq; facilè lentescat, & confractum pingue spectetur: myrrha uero, quæ officinalis uenditur, digitorum attritu conteritur, & si frangatur per quam arida se se offert. Ceterum improbabilius Dioscorides, omniumq; Myrræ specierum deterrima iudicauit, quæ aliquibus minæ, alijs aminea vocatur, quam cum Galenus probauerit libro primo de antidotis, omnibusq; Troglodyticis prætulerit, factum est, ut existimauerint quidam, in hoc loco Dioscoridis codici mendam subesse. Sed eum in Di scoride Græco legatur aminea, & in Galeno minæ, ego potius crediderim, eos non idem myrræ genus intellexisse. Plinius lib. xii. cap. xv. myrræ arboris faciem diligenter expressit, his uerbis. Myrrham in iisdem sylvis, ubi & thus, permixtam arborem nasci tradidere aliqui: plures separatim. Quippe multis in locis Arabie gignitur. Conuicitur & ex sylvis laudata, petuntq; eam etiam à Troglodytis Sabæi transitu maris. Satiuia quoque prouenit multum sylvestri prelata. Gaudet rastris, & ablaqueationibus: melior radice refrigerata. Arbori altitudo ad quinq; cubita, nec sine spina: caudice duro, & intorto, crassiore quam thuris, & ab radice etiam, quam aliqua sui parte: corticem leuem, similemq; unedoni: scabrum alij spinosumq; dixerunt: folium oliuæ, uerum crispus, & aculeatum: iuba olu satri. Aliqui similem iuniperi, sebriorem tantum, spinisq; horridam, folio rotundiore, sed sapore iuniperi. Nec non fuere qui è thuris arbore, utrumq; nasci mentirentur. Inciduntur bis & ipse thuris modo, iisdemq; temporibus, sed à radice usq; ad ramos, qui ualent. Sudant autem sponte priusquam incidentur, flacken dictam, cui nulla præsertur. Ab hac satiuia, & in sylvestri quoq; melior & stiua. Non dant ex myrrha portiones Dco, quoniam & apud alios nascitur. Et sequenti capite inquit. Adulteratur myrrha lentisci glebis, & gummi: item cucumeris succo amaritudinis causa, sicut ponderis argenti spuma. Reliqua uita deprehenduntur sapore gummi dente lentescentis. Facillime autem adulteratur Indica myrrha, quæ ibi de quadam spina colligitur. Hoc solùm peius India assert, facili distinctione, tanto de terior est. hec Plinius. Quo fit, ut facile crediderim nostri usus myrrham Indicam esse. namque per mare rubrum, & inde per carouanas (ut dicunt) Alexandriam importatur. Myrræ quoq; historiam non iniucundè scripsit Theophrastus lib. ix. cap. xxxii. de plantarum historia, sic inquiens. Gignitur thus & myrrha regione Arabum media circa Saba, & Adramytta, et Citibena, & Mamali: & ex eundem thuris, myrræq; arbores alie super monte, alie in pede montis culturis proprijs: quamobrem alie coluntur, alie uitam agunt inculte. Montem istum præaltum affirmant, & ningi solitum: annes quoq; de eo in plana fluere. Myrræ arborem thure altitudine minorem, fructuoseoremq; narrant: caudice duro, contortoq; iuxta terram, crassioreq; sura hominis, cortice leue adrachne simili. Alij uero, qui se uidisse affirmant, de magnitudine ferre consentiunt. Neutram earum arborum magnam referunt, & minorem myrræ humilioremq;. Sed thuris folium laurinum, leueq;: myrræ aculeatum, non leue, ulmeo simile: crispum tamen, extremo spina horridulum, lignei modo. Iidem ea nauigatione, qua ex sinu heroum uehementer egressos se se aquam in monte quæsse dixerunt, atq; ita uidisse has arbores, & lectionem notasse hoc modo ambarum: & caudices, et ramos incisos quidem, sed alios uelut securi percussos uideri, alios tenuiores incisuras habere: & lacryman alienam decidere, alienam arbori inherere: nonnusquam etiam subiectas tegetes ex palmis contextas, alibi solum tantummodo circumpaumentatum. Montem autem uniuersum Sabæis diuisum dixerunt: hos enim loci illius dominos esse, iustitiaque mutua degere, quamobrem nullum suas arbores custodire: unde & thus, myrrhamq; se largè ad naues solitudine deportasse narrarunt. Illud quoq; se audiuisse dixerunt, myrram, thusq; collectum undiq; ad solis delubrum conuehi: quod Sabæorum esse sanctissimum inter omnia regionis illius, custodesq; Arabes armatos habere, quibus singulos suum thus aceruatum

Myrrha adul terata opocal pato.

Brasavoli opl nio improba ta.

Myrræ hi stor. ex Pli

Myrræ hi stor. ex Theo phrasto.

aceruatum, & myrrham eodem modo relinquere, posita super aceruum tabella, litteris significante numerum mensurarum, & pretium, quod pro singulis mensuris ponendum sit. mercatores uero, qui uenerint, tabellas aduertere, eiusque quod placuerit, acta mensura pretium in eodem ponere loco, unde merces accepte erint: sacerdotem deinde uenire, partemque, tertia pretij Dco accepta, reliquum ibidem relinquere: idque seruari tutissime dominis, donec acceptum uenerint.

Alij myrrhae arbore terebintho similem reddidere, sed si abriorem, spinosioramque: folium paulò rotundius, gustu proximum terebintho: earum quoque ueteres præstantiores haberi. Nasci uero hanc, & ibus in eodem loco terra subargilia, & fabulosa: & aquas fonte fluentes rarae admodum comperiri. Hec ergo illis repugnant, uidelicet nigris, & unribus perlui, & amibus locum illum exhilarari. Sed hi quidem altera quoque longè maiore ignorantia laborarunt: thus enim, & myrrham nasci ex eadem arbore putaverunt. Quamobrem uerisimilius ipsi narrarunt, quos ex heroum oppido profectos nauis retulimus. Myrrha aliud sit latitum, aliud fictitium constat. Probatur melior gues-
tu, eiusque norma concolorem accipiunt. hactenus Theophrastus. Myrrha meminit Galenus lib. viii. simplicium medic. ubi ita scriptum reliquit. Myrrha secundi ordinis est, tunc excalcentium, tum desiccantium. Itaque capitum vulneribus illita glutinare ea potest. Inest & anaritas non pauca, per quam foetum, & lumbricos tum enecat, tum ejicit: adeo hinc ei & abstergendi potentia. Sic igitur oculi ribus miscetur facultatibus, utique que ad ulceras, & crassas cicatrices preparantur. Eadem de causa induit & medicamentis, que ad tuissim ueterem, & astima, siue ambulationem exhibentur: non tam arteriam exasperat, sicut abstergentium nonnulla. Verum adeo moderatam obtinet abstersionem, ut nonnulli eam arteriacis que uocant medicamentis commiscant, tanquam sufficienter excalcentis, & desiccans medicamen: scilicet abstersionem proficiunt ab amaritudine nihil uerentes. hec Galenus. Porro ubi myrrha de sit, Galenus in succidaneis (si tamen liber is Galeni est, nobis enim spurius censetur) odoratum calamum supplet: Constantinus uero amaras amygdalas eodem pondere. Sed equidem hic myropolas admonitos uelim, ut nullo pacto eorum sequantur doctrinam, qui iubent, Auicenna auctoritate male intellecta, myrrhae loco piper nigrum supponere. Nanque Auicenna hanc sententiam omnino resellit, cum utatur his uerbis. Pro myrrha substituendum piperis nigri dimidium aliqui perhibent: sed hoc falsum est. Postrem illud etiam notandum est, quod (ut Galenus inquit lib. xi. de comp. medic. per genera) myrrha semper medicamentis est commiscenda, cum ab igne tolluntur: quippe que coqui minime patiatur, ueluti etiam thus, & aloë. De Boeotica autem myrrha, quid dicam non habeo, quod aetate nostra sit (ut arbitror) omnibus incognita. Σμύρνα sic Græcis dicta, Myrrha Latinis appellatur: Ler, Mur, seu Mor, Arabibus: Mirra, Italies: Mirren, Germanis: Mira, Hispanis: Myrrhe, Gallis.

+ Exemplaria Græca typis expressa habent, διαχρονείν τεσσάρων μυρωτήσιν, id est, illita aenea narium. Que uerba inunctionem ad partem nasi referre uidentur, non autem ad instrumentum, quo debeat fieri inunctio. Siquidem, teste etiam Galeno lib. x. de usu partium, πέρησι seu πτεργύιοι pars quedam nasi uocatur.
ΣΤΥΡΧ. STYRAX.

CAP. LXVIII.

STYRAX lacryma est arboris malo cotoneæ simili. Praefertur pinguis, flauus, resinofus, albicantibus grumis, quam plurimum in sua odoris gratia permanens, qui dum mollitur, melleum liquorem reddit: qualis est Catabalis, Pissidia, & Cilicia deuehitur. Deterior niger, furfurosus, friabilis, canoque: situ obductus. Cæterum lacryma inuenitur gummi similitudine, perlucida, & myrrhae æmula: verum per pauca manat. Adulteratus lignis scope, quam uermiculi erodentes excusserunt, melle, & iridis sedimento, & quibusdam alijs. Alij ceram, aut adipem odoribus imbutum, flagrantissimis soiibus cum styrate subigunt, & per laxa cribri foramina in frigida aqua ueluti uermiculos exprimit, uenundantque. Styracem hunc, + quoniam in uermiculorum speciem contrahatur, scolecites cognominant, quem tanquam syncerum imperiti approbant, non animaduertentes ad præcipuam odoris fragrantiam: siquidem acer admodum est, qui adulterationis uitio caret. Styrax calfacit, emollit, & concoquit: medetur tussi, destillationibus, raucedini, grauedini, & interceptæ voci: vulvae præclusæ, duritiæ uel labranti conuenit: cit menses potu, apposituque: aluum leuiter mollit, si exiguum cum resina terebinthina catapottij modo deuoretur. Miscetur utiliter discutientibus malagmatis, acopisque. Adoleat autem, & igni torretur, ut fiat ex eo, veluti ex thure, fuligo: ad eadem conueniens, ad quæ thuris fuligo. Ex eo etiam in Syria styracinum oleum componitur, quod calefacit, vehementer, & emollit: verum caput dolore afficit, agrauatque, & soporem adfert.

STYRAX

Myrrha ui-
res ex Gal.Myrrha suc-
cidanea.Ieo Bonelli
sæcunda ou-Boeotica myr-
ra.
Nomina.

S T Y R A X paxum in Italia Storax calamita officinis appellatur, quod cognomen ex Galeno libro primo de annis etiis acceptum crederim. Namque ipse de simplicibus medicamentis agens, que ad theriacæ compositionem factū, optimum iudicauit styracem, qui in calamis est Pampylia frēbatur: unde calamite cognomen sibi facile uendicauit.

Styracis consideratio.

Itaque cū non aliud habeatur styrax, qui sit hoc genere præstantior, in usu medentium est, ut dum pharmacopolis imperant fieri medicamenta, que styracem excipiunt, calamite cognomen adjiciant, quo indicent, se primum doribus intelligere. Nec illud quidem ab re: quandoquidem Galenus eodem loco memorie prodiderit, hoc styracis genus tantum præstare ceteris, quantum unum salernum illud bonitate excellit, quod à cauponibus uenditur. Quo argumento frētus Manardus Ferrariensis existimauit, ubi in Dioscoridis codice legitur τοιοῦτος ἐστὸν καβαλίτης, hoc est, talis est Catabalites, potius legendum esse, talis est calamites. Neque probat lectionem mutandam esse in Gabaliten, quē

Manardi lectio non probata.

admodum fecit Marcellus. Sed profecto bac in re (et si Manardus fuerit uir summa doctrina præeditus) mibi magis Marcelli sententia probanda uidetur. Quippe que Plinius testimonio comprobatur lib. xii. cap. xxv. ubi sic inquit. **S t y r a c e m S y r i a I u d e a p r o x i m a s u p r a P h e n i c i e m g i g n i t c i r c a G a b a l a , & M a r a b u n t a , & C a s i u m S c l e n c i e m o n t ē .**

Fuchsij opinio reprobata.

Atque etiā ei adstipulatur Oribasii codex manu scriptus, in quo lib. xii. legitur γαβαλίτης, & non καβαλίτης.

Porrò Fuchsius medicus nostrus etatis clarissimus, in libro, quem de compositione medicamentorum secundō condidit, styracem calamitem liquidum fuisse censet, non alia (quantum eidem video) ratione frētus, quam quod in calamis adueheretur. Verion in hoc Fuchsius (pace eius dixerim) à ueritate desciit. quandoquidem Dioscoridi styrax lacryma est arboris malo cotonea similis: cuius ille præstat ceteris, qui flaus est, resinosis, grumos habet albican-tes, & dum mollitur, melleum liquorem reddit. Ex quibus facile constare arbitror, styracem non fuisse liquidum, sed in grumos concretum. Neque certe mibi rationi consonum uidetur, ex eo quod Galeni tempore styrax in calamis ue- hebatur, inferre ipsum fuisse liquidum. Nam (ut me a ferte opinio) non alia de causa qui styracis lacrymam colligebat, eam statim in calamis includebant, quam ut suavis eius odor conseruaretur. Id quod etiam cum dictamno faciebant ij (ut memorie prodidit Theophrastus lib. ix. cap. xv. de historia plantarum) qui ipsum in Creta legebant. siquidem ij dictamni manipulos in ferula, aut arundine intercludebant, ne uis eius expriraret. Præterea cū apud ueteres Graecos nullae (quod legerim) extet liquidū styracis mentio, haudquam possum huic Fuchsij sententie adhærere: quiniam cogor eam prorsus resillere, quod rectius sentire uidear cum Arabibus, & recentioribus, qui per liquidū styracem non aliud intelligent, quam fracten myrrae. Ceterum Plinio loco citato laudatur styrax post supradicta ex Pisidia, Sidone, Cypro: è Creta uero minime. Reddedit Plinius causam, quare est, quod Styrax plerisque puluerulentus existat, dicens, quod in eum circa canis ortum aduolant pennati uermiculi erodentes, ob idq; ipsum in scobe sorde-scere. Adulteratur etiam styrax (ut idem scribit) cedri lacryma, uel gummi, melle, aut amaris amygdalis. quocirca

Styracis uires ex Galeno.

30 retinende sunt note, quibus Dioscoridis auctoritate præstantissimus cognosci potest. Styracis arbor uiret Venetijs pluribus in locis, præsertimq; in uiridario clarissimi medici Maffei à Maffeo. Huius meminit Galenus lib. viii. simplicium medicamentorum, sic inquiens. **S t y r a c e m e x c a l f a c i t , e m o l l i t , c o n c o q u i t : q u a m o b r e m t u s s i b u s , c a t a r r h i s , p i-**

Nomina.

tuit & d e s t i l l a t i o n i b u s , r a u c e d i n i b u s q; , q u a s ο ν ούτας , καὶ βράγχος uocant, p r o d e s t . T u m m e n s e s s e u p o t u m , s e u

admotum prolicit. Combusti eius fuligo, thuris fuligine quodammodo est similis. Στύρωξ ut Græce, ita etiam Latine Styrax nuncupatur: Arabicè uero Miha, Meha, Mehaha, seu Astarach: Italice, Stirace: officinis, Storax calamita: Hispanice, Estoraque.

+ quoniam in uermiculorum speciem contrahatur. Hæc uerba non leguntur in Græcis codicibus. Sed ea (ut arbitror) à Ruellio interprete adieci sunt ob maiorem rei declarationem. Quæ hanc ob causam, lectore tamen admonito, nobis quoque relinquere placuit.

40 Βδέλλιον. BDELLIVM. CAP. LXIX.

B D E L L I V M alij bolchon appellant, alij madelcon: lacryma est + Saracenicæ arboris. Probatur gustu amarum, translucidum, taurini glutinis in morem, intus pingue, liquefscens facile, ligni ac fordinis expers, + suffitu odoratum, vngui simile. Est etiamnum bdellij genus fordinum, nigrum, vbe rioribus glebulis in offas coniolutum, aspalathi odore, ex India aduectum. Desertur etiam à Petra oppido siccum, resinosum, liuescens, sed facultate secundum. Adulteratur gummi, sed ita uitiatum non perinde gustui amaritudinem representat, nec usque adeò suffitionibus odoratum. Calfacit, & emollit: duritas, & turgentia guttura, humidasque hernias discutit cum iejuu saliuu dilutum: vulua spiracula laxat appositu, & suffitu: & partus, humiditatesque omnes extrahit: calculos potu comminuit, vrinam mouet: tuſſientibus, & à serpente percussis uerilissime datur: valet ad rupta, vulfa, laterum dolores, & discursantes spiritus. Malagmatiſ inseritur, quæ contra duritas, & neuorum nodos profundit. Contusum resoluitur affuso uino, aut aqua calida.

Bdellij confederatio.

P R A E S T A N T I S S I M U M Bdellium Dioscoridi translucidum est, taurini glutinis in morem, amarum, tactu liquefscens facile, & quod incensum odorem emitat ungui odorato similem. Quod si modo nostro tempore in Italiā importatur, ad eō rarum est, ut (quemadmodum de myrra diximus) ad ostentationem tantum afferuetur, uel ad adulterini, & reprobati dignoscendi normam. Credere quidam, hoc uulgare Bdellium, cuius paxum in officinis est usus, constare partim ex nigro, quod India mittit, partim uero ex eo Arabici genere, quod siccum, resinosum, leuensq; ex Petra desertur, utrisq; à mercatoribus simul mistis. Quod si ita res se haberet, non esset planè molestè secundum, quod saltē mediocre impertiretur, postquam nobis optimo interdictum est. Verum et si hoc fieri possit, cū tamen

tamen in eo parum uel nihil amaroris sentiatur; cimq; ceteris sc̄e omnibus tum notis, tū qualitatibus sit expers, quas ei Dioscorides tribuit; est potius opinandum factitium id, & adulterinum esse, quam legitimum. Hinc factum est, ut quidam recentiores simplicium indagatores, cū nobis persuadere uellent, Bdellium in officinis reperiri, licet nō aduectum ex Saraca felicis Arabie ciuitate, unde aduehi consueverat, somniauerint, cōmūnem myrrham legitimum esse

Bdellij vulgaris genera. bdellium, ut eorum sententiam refellentes, in p̄cedenti commentario scripsimus. Huius, quo p̄fīm utimur, plura quidem habentia genera. Siquidem aliquod quandoque uidi nigrum, resinosum, odore s̄cēdo laſeri quadāntenuſ proximo: aliud translucidum, utpote taurinum glutinum, sed siccum, amaroris expers, nulloq; odore p̄editum: quoddam uero adeo vulgarī myrrā persimile, ut ab ea uix dignosci posset. Que omnia genera tamē illegitima cēſeantur; officinis tamen tanquam legitima, & p̄stantissima in medicamentis p̄fīm temere usurpantur. Bdellium scriptis tradidit Plinius lib. XII. cap. IX. bis uerbis. Vicina est Baſtriana, in qua bdellium nominatisnum.

Bdellij histor. ex Plinio. Arbor nigra est, magnitudine oleæ, folio roboris, fructu caprifici natura. Gummi alij brochon appellant, alij mala- chran, alij malaccon. Nigrum uero, & in offas conuolutum hadrobolon. Esse autem debet translucidum, simile cēr.e, odoratum, & cum fricatur pingue, gustu amarum citra acorem. In sacris uino perfusum odoratius. Nascitur et in Arabia, Indiaq;, & Media, ac Babylone. Aliqui peraticum uocant ex Media aduectum: facilius hoc, & cruflo- fuis, amariuſq;. At Indicum humidius, & gummosum. Adulteratur amygdala nuce. h.e.c Plinius.

Bdellij uires ex Galeno. Bdellij facultates prodidit Galenus lib. V. simplicium medicamentorum, sic inquietus. Bdellium quod Scythicum nominant, quod sa- ne & atrius est, & resinosum magis, emollientis admodum, & efficacis virtutis est. At alterum, nempe Arabicum, quod dilucidius est, magis desiccat, quam emolliat. Igitur recens, & humidum est, & contusion facile mollescit, ad omnia, ad que Scythicum, idoneum. At quod antiquius est, & admodum gustu amarum, & acre, & siccum, ab eo- rum, que indurata molliunt, medicoritate excidit. Utuntur autem quidam illis, & potissimum Arabico, & ad guttu- ris ramicē, & bernias aquosas, saliuia matutina, ieiuniaq; subientes, ut emplastri consistentiam accipiant. Porro A= rabicum & calculos renium in potu sumptum frangere appetat, tum urinas etere, & crudorum flatuum discursus, p̄terea laterum dolores, & rupturas per sanare. hactenus Galenus. Ceterum inuenio Serapionē duobus capi- tibus Bdellij meminisse: quorum alterum appellavit Iudaicum, quod nimurum est ipsum Dioscoridis bdellium: alterum uero cuiusdam plantæ palmæ similis fructum esse tradidit. Hoc Neapolit frequentissimum uidimus, ijsq; in officinis accepimus, ubi sacchari arundines è Sicilia petitas uenundantur. Nam cum illic esset cum Bernardo Clesio Cardina- li, & Principe Tridentino, qui apud Cæsarem Carolum V. inuidissimum Imperatorem agebat, multarum uidendarū rerum, que ad medicam materiam spectant, fuit mibi facultas. Hoc igitur palmæ genus (ut ab incolis accepi) ex Si- cilia cum folijs palmeis, ac radice defertur cubitali, uel paulo ampliori longitudine. Vocantur hæ plantæ Neapoli

Bdellium alte rū Serapioni palmæ genus. uulgō CEFAGLIONI. quarum quoddam duntaxat germiculum comedunt, tenerrimum, sapidum, & ori gratissi- mum. Includitur hoc mille quibusdam inuolucris, tanquam totius plantæ coreculum. Hoc quidem tuberibus, & car- diis, carduorumq; echinatis capitibus (cariossi, & archichiochi Itali uulgō nocant) p̄ferunt. quandoquidem id se- cundis mensis pro bellarijs cum pipere, & sale solenniter assument, tum quid gustui is cibis admodum arrideat, tum etiam quid uenerem conciliet. Porro illa uulgaris Cefaglioni appellatio (quantum conidere possimus) à Mauritanis accepta est: siquidem Serapio sic inquit. Cefilio est cor istius palme, & natura eius est, sicut natura palmerij. Gale- nus insuper lib. V. 111. simplicium medic. de palma differens, eius medullam encephalos appellari tradidit. Ex quo ad- ducor, ut sufficer, inde Arabes Græca uoce corrupta suum Cefilionis nomen acceperisse. Quod BΔΕΛΛΙΟV Græci, Bdellium similiter Latinī uocant: Mauritani, Molochil, Molochal, Mochol, aut Mochel: Itali, Bdellio: Hispani, Bedelio.

Cefilionis cō sideratio. + Licet Saracenicæ arboris lectio admitti posset, quod Saraca, unde Saraceni dicti sunt, urbs sit in Arabia; non tamen improbanda uidetur lectio Arabicæ arboris. Quod non solum Plinius scribat bdellium in Arabia nasci, & Ga- lenus alterum bdellij genus Arabicū faciat; sed etiam quod Oribasius lib. X. legat δάνγουον εστι δένδρον αραβικοῦ. hoc est: lacryma est arboris Arabicæ.

+ Hoc loco in uulgatis Græcis codicibus sic legitur: ἐνώδες ἐν τῇ δυμάσι, εοινός ὄρυχι. hoc est, si uerbum uerbo reddamus: odoratum in suffitu, simile unguis. Eadem uerba ex Dioscoride referunt inter Græcos Aëtius & Oribasius. Ceterum in ijs uerbis illud dubiam sententiam facit, quod non facile colligi posset, quid per ὄρυχι intelligat Dioscorides. nam cum hæc uox homonyma sit, & plura significet, cui potissimum rei conueniat, auctor non ex- plicauit. ut hinc uel aliquid deesse sufficendum sit, uel hac uoce diuinandum de nota illa bdellij optimi magis sit, quam aliquid certi statuendū. Auget difficultatem, quod interpretes omnes, uiri doctissimi, uerba illa in diuersum sensum tra- hant. Alij enim probatū bdellium uolunt bene odoratum esse semper, sed incensum fieri unguis simile, ut Manardus libro suarum epist. octavo: aliud dum incenditur, odore malunt unguis assimilari, ut Hermolaus. quorū tamen utrumq; constat de odorato ungue intellexisse. His adstipulari uidetur Serapio inter Arabas, qui bdellij descriptionem Dioscoridi acce- ptam ferens, uerba illa interpretatur in hunc sensum: cū incenditur, bonū spirat odorem, odori unguis odorati simile. Sunt porro qui bdellium suffitu odoratum faciunt, unguis simile, ut Ruellius. qui certe ea simplici uerborū illorum uer- stione non minus ambiguū reliquit illius notæ sensum, quam in Græco reperiatur. Marcellus autem diuersam ab antedi- cī sententiā protulit, nam ita uerit illa uerba: cū incenditur, odoratum, et humano unguis colore simile. Hæc utique Marcelli interpretatio plura habet, quam in Græcis codicib. legantur, ea fortasse ratione ab eo addita, ut nulla reliqua esset ambiguitas: quanquam in hoc à Manardo redarguitur. Mihi quidem hactenus placuit Serapionis interpretationi subscribere, ut patet in principio huius commentationis. Nunc uero quid mibi sentiendum sit, ferre incertus sum. Viden- tur enim uerba illa Dioscoridis ita distincta esse, ut duas bdellij optimi notas faciant: quarum altera est, ut odorati sit, cū suffit: altera, ut sit unguis simile. Sed relinquuntur dubitatio, an unguis odoratus, aut humanus sit intelligen- dus.

Nomina. 30

Bdellium alte rū Serapioni palmæ genus. uulgō CEFAGLIONI. quarum quoddam duntaxat germiculum comedunt, tenerrimum, sapidum, & ori gratissi- mum. Includitur hoc mille quibusdam inuolucris, tanquam totius plantæ coreculum. Hoc quidem tuberibus, & car- diis, carduorumq; echinatis capitibus (cariossi, & archichiochi Itali uulgō nocant) p̄ferunt. quandoquidem id se- cundis mensis pro bellarijs cum pipere, & sale solenniter assument, tum quid gustui is cibis admodum arrideat, tum etiam quid uenerem conciliet. Porro illa uulgaris Cefaglioni appellatio (quantum conidere possimus) à Mauritanis accepta est: siquidem Serapio sic inquit. Cefilio est cor istius palme, & natura eius est, sicut natura palmerij. Gale- nus insuper lib. V. 111. simplicium medic. de palma differens, eius medullam encephalos appellari tradidit. Ex quo ad- ducor, ut sufficer, inde Arabes Græca uoce corrupta suum Cefilionis nomen acceperisse. Quod BΔΕΛΛΙΟV Græci, Bdellium similiter Latinī uocant: Mauritani, Molochil, Molochal, Mochol, aut Mochel: Itali, Bdellio: Hispani, Bedelio.

Cefilionis cō sideratio. 30

Nomina. + Licet Saracenicæ arboris lectio admitti posset, quod Saraca, unde Saraceni dicti sunt, urbs sit in Arabia; non tamen improbanda uidetur lectio Arabicæ arboris. Quod non solum Plinius scribat bdellium in Arabia nasci, & Ga- lenus alterum bdellij genus Arabicū faciat; sed etiam quod Oribasius lib. X. legat δάνγουον εστι δένδρον αραβικοῦ. hoc est: lacryma est arboris Arabicæ.

+ Hoc loco in uulgatis Græcis codicibus sic legitur: ἐνώδες ἐν τῇ δυμάσι, εοινός ὄρυχι. hoc est, si uerbum uerbo reddamus: odoratum in suffitu, simile unguis. Eadem uerba ex Dioscoride referunt inter Græcos Aëtius & Oribasius. Ceterum in ijs uerbis illud dubiam sententiam facit, quod non facile colligi posset, quid per ὄρυχι intelligat Dioscorides. nam cum hæc uox homonyma sit, & plura significet, cui potissimum rei conueniat, auctor non ex- plicauit. ut hinc uel aliquid deesse sufficendum sit, uel hac uoce diuinandum de nota illa bdellij optimi magis sit, quam aliquid certi statuendū. Auget difficultatem, quod interpretes omnes, uiri doctissimi, uerba illa in diuersum sensum tra- hant. Alij enim probatū bdellium uolunt bene odoratum esse semper, sed incensum fieri unguis simile, ut Manardus libro suarum epist. octavo: aliud dum incenditur, odore malunt unguis assimilari, ut Hermolaus. quorū tamen utrumq; constat de odorato ungue intellexisse. His adstipulari uidetur Serapio inter Arabas, qui bdellij descriptionem Dioscoridi acce- ptam ferens, uerba illa interpretatur in hunc sensum: cū incenditur, bonū spirat odorem, odori unguis odorati simile. Sunt porro qui bdellium suffitu odoratum faciunt, unguis simile, ut Ruellius. qui certe ea simplici uerborū illorum uer- stione non minus ambiguū reliquit illius notæ sensum, quam in Græco reperiatur. Marcellus autem diuersam ab antedi- cī sententiā protulit, nam ita uerit illa uerba: cū incenditur, odoratum, et humano unguis colore simile. Hæc utique Marcelli interpretatio plura habet, quam in Græcis codicib. legantur, ea fortasse ratione ab eo addita, ut nulla reliqua esset ambiguitas: quanquam in hoc à Manardo redarguitur. Mihi quidem hactenus placuit Serapionis interpretationi subscribere, ut patet in principio huius commentationis. Nunc uero quid mibi sentiendum sit, ferre incertus sum. Viden- tur enim uerba illa Dioscoridis ita distincta esse, ut duas bdellij optimi notas faciant: quarum altera est, ut odorati sit, cū suffit: altera, ut sit unguis simile. Sed relinquuntur dubitatio, an unguis odoratus, aut humanus sit intelligen- dus.

dus. Eò tamen inclinat animus, ut putem humanum unguem intelligi, quod Plinius lib. xii. cap. ix. de bdellio disserens, Baetriano unguis reddat candidos, cion inquit. Baetriano nidor siccus, multiq; candidi unguis. Ex his nimirum uerbis liquet, bdellium illud albis maculis ungi humano similibus refertum esse. Id quod etiam uidetur bdellio assignasse Damocrates in suis carminibus, quibus cyphoeos compositionem cecinit, & que à Galeno referuntur lib. ii. de antidotis, dum ita scribit. Σχόνου ισ'. κεὶ κρόκου μαν, βδέλλιον ὄνυχας τὸ γάτω λαζόνες. Hæc duo carmina soluta oratione ad uerbum sic uertemus. Iunci odorati duodecim, & croci uram, Bdelliij unguis drachmas tres, aspalathi duas semis. Sanè quod Damocrates bdelliij unguis in cyphoeos compositionem addat, me magis mouet, ut credam bdellium notam peculiarem habere, qua unguium effigiem representat: aut quod illud bdelliū sit praestantius, cui sint macule humanis unguibus similes. Sed hec fortasse fuisus, quam deceat, ut quid alij, & quid ego sentiam in illis Dioscoridis uerbis, exponerem, ita tamen, ut malum eruditiorum quoq; iudicium esse.

Albaris.

THVS.

CAP. LXX.

THVS in ea gignitur Arabia, quæ thurifera cognominatur. Primum tenet in eo genere masculum, Itagonias appellatum, suapte natura rotundum: tale autem indiuiduum est, candidum, cum frangitur, intus pingue, in fusitu statim ardens. Indicum uero fulvescit, & colore liuet, sed rotundum industria factit: nam in quadrangulares formas dissectum fictilibus uersant, donec rotunditatem contrahat: uerum huiusmodi thus tempore flauescit, quod atomum, aut syagrum appellant. Secundum locum habet Arabicum, & in Smilo nascens, quod aliqui copiscum uocant, minus multo, & fuluius. Est & genus aliud, cui amomite cognomen est, alioqui candidum: quod dum mollitur, mastiches more digitis cedit. Adulteratur omne thus in itinere pini resina, & gummi. quod facile deprehendi potest: siquidem suffitum gummiflammam non eiaculatur, & resina in sumum evanescit, thus uero statim ardet: idem maleficium odor prodit. Ad calfaciendum, & astringendum pollet: oculorum caliginem discutit, caua ulceram complet, & ad cicatricem perducit: cruenta vulnera glutinat, infrænatque cunctas sanguinis eruptiones, etiam si cerebri membranis effluat: ulcera, quæ coëthe uocantur, & sedis, & reliquarum partium permulcat tritum cum eo & lacte linamentum: formicantes uerrucas inter initia, impetiginesque ex aceto, & pice illitum tollit: ambusta igni, pernoresque cum suillo adipe, aut anserino, & ulcera in capite manantia cum nitro, si infrirectur, sanat: paronychijs cum melle, auribus fractis cum pice, medetur: ad reliquos aurium dolores cum dulci viño infunditur: inflamatæ à partu mammæ cum cimolia, & rosaceo magna utilitate perunguntur: additur ad arteriæ viscerumque medicamenta: prodest sanguinis excretioni potum. Sed in secunda valetudine haustum insaniam mouet, & largius cum vino potum interficit. In fictili mundo thus crematur, flagrante glebula succensum à lucerna, donec exuratur: post perfectam uisionem operire oportet, usquedum restinguatur: sic enim in cineres non redigitur. Aliqui ollulam æneo vase cauo circa medium perforato cingunt ad excipiendam fuliginem, vt in eius mentione mox ostendemus. Alij crudo fictili luto oblito, & in fornacem indito, cremant. Fictili etiam nouo viuacibus prunis torretur, dum non amplius bullet, aut pinguitudinem, vaporēmve emittat: facile enim comminuitur, quod perustum non est.

Φλοίος Αιβάνου.

CORTEX THVRIS.

CAP. LXXI.

PRAEFERT VR thuris cortex crassus, pinguis, odoratus, recens, laevis, minimè scaber, sine membranis. Adulteratur admisto pini, aut nucis eius cortice. sed horum index ignis est: siquidem reliqui cortices suffiti nequaquam incenduntur, sed sine odore sumum eruptant: thuris uero cortex ardet, & cum odoris fragrantia vaporem eiaculatur. Thuri modo vritur: & vis eadem, quæ thuri, sed validior, adstringentiorque. Quare potu cruentis excretionibus, vuluis fluxione laborantibus in pessu consert: ad cicatrices oculorum, & caua, fordesque efficax est. tostus scabris lippitudinibus auxiliatur.

Μάννα Αιβάνου.

MANNA THVRIS.

CAP. LXXII.

MANNA thuris probatur candore, micarum frequentia, & puritate. Vim habet eandem, quam & thus, sed inualidiusculam. Sunt qui cribrata pini resina, ac polline, aut cortice thuris contusi adulterant. Sed hæc igne deprehenduntur: neque enim æquè suffitum aérium vaporem, sed fuliginosum, & impurum expuit, & permistum suaveolentia halitus virus habet.

Αἴθαλη μιβανοτοῦ.

FVLIGO THVRIS.

CAP. LXXIII.

FVLIGINE M thuris sic facito. Forcipula lucernis accensas singulatim thuris glebas in nouam fictilem ollam concavam imponito: & æreo vase in medio perforato, detersa diligenter sorde, obtegito: alteram admoueto, ex altera eius parte, aut utraque subiectis quaternum digitorum altitudine lapillis, quod facilius perspici queat, si vrantur: & quæ locus capax fuerit, glebulas alias supponito, & anteaquam prorsus prior gleba restinguatur, aliam imponito, donec sufficientem fuliginem uidaris coegisse. Continuò tamen externæ æramenti partes spongia, aqua frigida madefacta, abstergantur: ita enim temperato æris feruore, fuligo omnis inhærebit, quæ alioqui per leuitatem decidua thuris